UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

88. An admodum RR. PP. Oliuetani commorantes in Abbatia Viuoldanæ teneantur singuli ad diurnam Missarum celebrationem? Et an etiam Generalis non possit eis præcipere hanc diurnam celebrationem? Et ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

4. Sed vt verum fatear, quando hanc ſententiam legi, prima facie vehementer ſtupui, quod apud veteres, & recentiores ſcriptores tam doctos tale præceptum in iure canonico non fuerit inuentum, vt ſupra viſum eſt, & quòd P. Peregrinus ſolus his noſtris temporibus inuenerit, & ideò ſtatim ad textus, & ad expoſitores cucurri, & cùm legerim *cap. dolentes*, & *cap. cùm creatura*, nec vllum verbum inueni, quod comprehendat Regulares, vt legenti patebit, aliquam difficultatem mihi præbuit *Clem. 1.* vbi Concilium Viennenſe loquitur etiam de Regularibus, & ideò cùm paululum ſuſpenſus hæſiſſem, ſtatim tenebras fugauit Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap. 4. n. 133.* vbi poſtquam quæſierat, an Eccleſiæ ſæculares, ſiue Cathedrales, ſiue Collegiatæ obligentur ad Officium in choro, tandem quærit, an Eccleſiæ Regulares obligatæ ſint ad eiuſmodi Officium, & ita aſſerit. Reſpondeo eſſe obligatas iuxta cuiuſcumque conſuetudinem, & inſtitutum, ex *Clem. 1. de celebr. Miſſar.* nam etiam Eccleſiæ Regulares connumerantur cum Cathedralibus, & Collegiatis. Dixi *iuxta cuiuſcumque inſtitutum*, quia Religioſi non tenentur ad Officium in choro ratione proprij beneficij, cùm id non habeant, neque propterea quod viuant ex eleemoſynis, vel bonis Eccleſiaſticis, quia non dantur cum hac conditione, neque etiam eſt ius Canonicum vniuerſaliter obligans Religioſos ad id, ſed pendet ex peculiari cuiuſque inſtituto & conſuetudine, vt dictum eſt. Hæc Filliucius.

5. Vnde dicendum eſt dictam *Clem. 1.* non aſſerere abſolutè Regulares eſſe obligatos ad Officium diuinum perſoluendum, ſed ad id teneri iuxta cuiuſcumque conſuetudinem, & inſtitutum, & ita etiam poſſent interpretari *cap. dolentes, &c. cùm creatura*, ſi de Regularibus loquerentur. Verùm cùm P. Peregrinus concedat in noſtra Religione non adeſſe inſtitutum, neque conſuetudinem obligantem ſub mortali ad canendam Miſſam ſolemnem in diebus feſtiuis: ergo conſtanter dicendum eſt illam relinquere non eſſe peccatum mortale, ſicut eſſet ſi relinquerentur Horæ Canonicæ, ad quas perſoluendas conſuetudo præſcripta iam obligat. Non bene igitur P. Peregrinus dicit nos teneri ad canendam Miſſam ſolemnem ex vi Canonum, ſed optimè cum Gauanto *ad rubr. Miſſalis, tom. 1. p. 3. tit. 11. n. 4.* dicendum eſt, Regulares ad id teneri ex vi regulæ & conſuetudinis interpretantis regulam, quam nos, & ipſemet Peregrinus negamus in noſtra Religione adeſſe cum obligatione culpæ lethalis: ergo, &c. quæ omnia confirmantur. Nam ſi nos teneremur dicere Miſſam ſolemnem ex vi Canonum, & conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ, vt vult Peregrinus, teneremur illam dicere in diebus ferialibus, vt patet ex *d. Clem. 1. & cap. dolentes, & cap. cùm creatura, de celebrat. Miſſarum.* Sed nos hoc non facimus. Ergo dicendum eſt ad illam nos non teneri virtute dictorum Canonum.

6. Reſpondet Peregrinus hoc eſſe verum, ſed poteſt eſſe quòd per viuæ vocis oraculum licentiam non canendi quotidie Miſſam obtinuiſſet Religio ab aliquo Summo Pontifice, quia illis temporibus paſſim erat in vſu concedere ſimiles facultates per viuæ vocis oraculum. Verùm ſi hæc opinio Peregrini admittenda foret, certi eſſemus de tranſgreſſione Canonum & conſuetudinis (vt vult ipſe) vniuerſalis Eccleſiæ, dum in noſtra Religione non fuerit cantata ſolemnis Miſſa in diebus ferialibus, & incerti eſſemus de excuſatione tranſgreſſionis, nam ipſemet peregrinus loquitur cum formidine, & præſumptiuè, quam quidem licentiam à Peregrino præſumptam difficulter adfuiſſe dicendum eſt, cùm non ſit credibile in re tanti momenti ſi Patres eſſent obligati ex vi Canonum, & conſuetudinis vniuerſalis Eccleſiæ ad canendam Miſſam diebus ferialibus, ſi hoc non facerent ex priuilegio Summi Põtificis, vt præſumit Peregrinus, non, inquã, vt dixi, credibile eſt in re tam graui, quoad memoriam poſteram, & in honorem Religionis, & ad ſecuritatem conſcientiarum, ſi de tam ſolemni priuilegio in Archiuo S. Syluestri, vel alio in loco mentionem aliquam non reliquiſſent: ſed hoc non inuenitur; neque Patres ſeniores de tali priuilegio vnquã mentionem fecerunt. Ergo neceſſariò dicendum eſt non adfuiſſe, & ita eſt, quia reuera neceſſarium non erat, cùm Regulares, vt dictum eſt, atque ſatis probatum, non teneantur dicere Miſſam ex vi Canonũ, ſed ex conſuetudine præſcripta in vnaquaque Religione: ſed in noſtra Religione nõ fuit accepta conſuetudo, vt Miſſa ſolemnis caneretur diebus ferialibus, ſed tantùm diebus feſtiuis, & hoc ſine onere peccati mortalis: ideò Patres ſine vllo Pontificis priuilegio dictam Miſſam ſolemnem in diebus ferialibus non dixerunt, neque nos his etiam temporibus dicimus, non, vt dictum eſt, ratione alicuius priuilegij, ſed quia in Religione non habemus conſuetudinem illam canendi.

7. Igitur contra P. Peregrinum cum communi ſententia omnium Doctorum, tam veterum, quàm recentiorum, dicendum eſt, Regulares non eſſe obſtrictos ſub mortali ad Officium diuinum, & Miſſam ſolemnem in choro canẽdam ex vi alicuius Canonis, vel conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, ſed ex regula, & vi conſuetudinis præſcriptæ interpretantis regulam. In noſtra verò Religione recepta eſt conſuetudo obligans ſub mortali ad perſoluendas Horas Canonicas, etiam extra chorum, non autem ad canendas Miſſas ſolemnes in diebus ferialibus; feſtiuis verò diebus illam canimus, ſed non cum obligatione peccati mortalis, quæ omnia patent ex ſuperiùs adductis, ex quibus etiam patet reſponſio ad alia, quæ adducit pro ſua firmanda ſententia Peregrinus.

RESOL. LXXXVIII.

An admodum RR. PP. Olinetani commorantes in Abbatia Vinoldana teneantur ſinguli ad diurnam Miſſarum celebrationem?

Et an Generalis non poſſit eis præcipere hanc diurnam celebrationem?

Et docetur Generalem non poſſe præcipere Religioſis ſubditis, quæ ſunt abſolutè extra Regulam, ſed quæ expreſſè, vel tacitè in ea continentur.

Et aduertitur, quod vſus, obſeruantia, & praxis, atque conſuetudo, leges, & ſtatuta interpretantur. Ex p. 10. tr. 16. & Miſc. 6. Reſ. 42. aliàs 41.

§. 1. RESpondeo negatiuè: Et licet prima facie videantur obſtare verba appoſita in Reſcripto Clem. VIII. die 22. Maij 1592. tamen ego contrarium puto: Vnde illa per extenſum apponam; ſic enim ibi Pontifex aſſerit: *Octo ad minus Monachorum,* &c. *qui omnes ibidem Conuentum conſtituant, ac iuxta ipſius Congregationis regularia inſtituta viuere, & eidem Eccleſiæ in Diuinis, horas Canonicas ſtatutis temporibus decantando, ac Miſſas ſingulis diebus celebrando deſeruire, &c.* puto igitur ex dictis verbis adeſſe quidem obligationem quotidie celebrandi, ſed non à ſingulis Monachis.

2. Moueor ad id tenendum, quia non eſt incredibile S. Pontificem, dum ad ſeruiendum dictæ Abbatiæ introduxerit ad adminiſtrationem RR. Monachos Oliueranos, velle eos ibi viuere contra morem, & vſum ſuæ Religionis, & imponere illis onus, ad quod vigore ſuarum Conſtitutionum non tenerentur.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tur.Sed in eorum Conſtitutionibus *part.1.cap.62.*ſic habetur:*Singuli Sacerdotes,ſingulis diebus Dominicis, & ſolemnibus infra hebdomadam occurrentibus Miſsã celebrare teneantur : ij verò Monachi , qui ſtant ex ea parte chori, in qua ſtat hebdomadarius, quotidie per illam hebdomadam Altaris ſacrificium offerant.* Ita ibi. Ergo dicendum eſt in verbis Bullæ adeſſe obligationem,vt in dicta Abbatia quotidie Miſſæ celebrentur, ſed non à ſingulis Monachis, ſed eo modo , quo in aliis Monaſteriis,ſecundum morem,& vſum Religionis,& ſecundum præceptum Conſtitutionis,ſolitum eſt ab ipſis celebrari. Alioquin ſequeretur magna difficultas. An etiã Generalis poſſit eis præcipere hanc diurnam celebrationem. Etenim certum eſt , neque Generalem poſſe præcipere Religioſis ſubditis quæ ſunt abſolutè extra regulam,ſed quæ expreſsè,vel tacitè in illa continentur,vt docet D.Tho.*in 2.2 q.104. art.5.ad 3.* Vaſquez *in part.2.diſp.154.cap.4 num.21.* Leſſius *lib.2.c.41.dub.9.n.76.* Azorius *tom.1.lib.13. cap.11. quæſ.9.* Sanchez *in Sum.tom.2.lib.6.c.2.n.15.* Suarez *de Relig.tom.3.lib.10.c.8 n.6.* Valentia *tom.3. diſp.7.q.3.punct.2.* Caſtrus Palaus *tom.3.tr.16.diſp.4. punct.2.n.7.* & alij. Sed Regula PP.Oliuetanorum,vt ſupra viſum eſt , neque expreſsè , neque tacitè onus dietim celebrandi continet, ſed expreſsè firmat contrarium. Ergo videtur, quod Superior diurnam hanc celebrationem Monachis in dicta Abbatia commorantibus imponere minimè poſſet. Dicendum eſt igitur Pontificem in dicta Bulla voluiſſe , vt ſingulis diebus in Monaſterio dictæ Abbatiæ Miſſæ celebrentur,ſed non à ſingulis iuxta morem, & Conſtitutiones Religionis.

Sup. hoc in tom. 1.tr.6. Reſ.13. prope finem , à verſ Et nota etiam.

3. Confirmatur primò hæc opinio , quia verba diſpoſitionis debent declarari,& reſtringendi ad qualitatem adiectã, vt tradit Surdus *lib.2. conſ.179 n.40. & 41.* Caſanate *conſ.44. n.29.* & alij quos adducunt Caſtillo,Soto,Maior,*Controu.tom.5.cap.9.à n.1.* cum Salgado *de Retentione Bullarum, part.1. cap.15.n.53.* Sed in Bulla Pontificis ſic habetur : *ac iuxta ipſius Congregationis regularia Inſtituta viuere,& eidem Eccleſiæ ſingulis diebus Miſſam celebrando deſeruire*, ſic ibi. Si itaque Monachi ex mente Pontificis tenentur viuere,& ſingulis diebus celebrare, iuxta ipſius Religionis mores,& Inſtituta : nam particula, *Et*, æqualiter copulat præcedentia cum ſequentibus , vt idem ſit de vno,quàm de alio,vt docet Menochius *conſ.56. n.95.*Pariſius *vol.1.conſ.95.n.6.* Natta *tom.4.conſ.573. n.14.* Sequitur onus celebrandi Miſſas aſſignatas à Pontifice , explicandum eſſe ſecundum Religionis mores, vſum, & inſtituta, quæ,vt ſupra viſum eſt ex verbis Conſtitutionum, obligant, vt ſingulis diebus à Monachis in Eccleſia celebretur,ſed non à ſingulis.

Sup.hoc lege ſupra doctrinam Reſ.81. §. Quarto gratia, & lege §§. à verſ. eius annot.

4. Confirmatur ſecundò,quia reſcripta recipiunt interpretationem ex narratis precum , ſiue ſupplicationis, ita vt exinde, vel extendenda, vel reſtringenda,vel ſupplenda,vel declaranda veniant,vt obſeruat Ripol. *tract.de Regularib.cap.22.num.56.* Cacheranus *deciſ.23.n.44. & deciſ.88.n.9.* Grammaticus *deciſ.203.n.202. & 203.* Surdus *deciſ.268.n.15. & deciſ.219.n.15.* Riccius *conſ.55.n.60. vol.2.* & alij. Sed Bullam Clem.VIII. certum eſt fuiſſe fundatam ſuper capitula iam ſtabilita inter Commendatarium,& Religionem Oliuetanam,& ſecundum præſcriptum dictorum capitulorum,poſtea fuiſſe factam petitionem. Verum inter alia Capitula adeſt illud,tenoris ſequentis. Quarto, che li PP. Religioſi accettino il carico di mantenere à detta Chieſa per li diuini Officij continuamente, & à perpetui tempi , otto Sacerdoti da fare la reſidenza, meſſe , hore canoniche , nell'hore ſolite alla loro Religione , & conuenienti : & ogni giorno celebrare li Diuini Officij. In quibus verbis clarè apparet & Religionem non ſe obligaſſe,vt octo Miſſæ dietim à ſingulis Monachis celebrentur,ſed vt ſingulis diebus celebrentur Diuina Officia.Quæ quidem verba verificantur quoad celebrationem Miſſarum,ſi non octo,ſed aliquæ Miſſæ celebrentur,ſecundum morem dictæ Religionis. Ergo,&c.

5. Et tandem confirmatur tertiò , quia vſus, obſeruantia,& conſuetudo, leges interpretantur ; vnde in *l.19.ff.de legib.* ſic habetur : *Si de interpretatione legis quæratur,in primis inſpiciendum eſſe,quo iure Ciuitas retro in eiuſmodi caſibus vſa fuerit , cùm optima legum interpres ſit conſuetudo,*ita ibi:quod etiam probatur ex *c. cùm dilectus,de conſuet.* vt obſeruat Enenkelius *de priuil. iuris Ciuilis,lib.2.c.3.n.2.* Vvameſius *de iure Pontif.vol.1. conſ.12.n.7.* Reinkingk *tract.de Regimine Seculari & Eccleſiaſtico lib.2.Claſſ.2.cap.1. n.29. & cap.11.n.6.* Harprechtus *in Inſtit.tom.1.§.13. tit.de Excuſat.Tutorum,n.50. & tom.3.§.3.tit.de loc. & conduct.n.71.* Menochius *conſ.32.n.44.* Syluanus *conſ.88. n.27.* & alij : quinimo omnium actuum, & diſpoſitionum interpres eſt conſuetudo,vt docet Ripol.*tr.de Regul.cap.47.n.39.* Solorzanus *de Indiarum iure,tom.2.lib.2.cap.21.n.24. & ſeq.* Surdus *de Alim. tit.2.q.66.n.4.* Mollerus *lib.1.Semeſtrium,cap.13.n.4.* Natta *conſ.406.n.25.& 28. tom.2.* Vveſembecius *conſil.266.n 84.p.6.* & ideò quamlibet diſpoſitionem, regulam recipere à conſuetudine,dixerunt Cagnolus *in Repet.ad leg.Si quis maior, C.de tranſact.* Vveſembecius *vbi ſup.n.85.*Surdus *deciſ.223.à n.11.*quæ omnia approbat etiam Hulticus Hunnius *in ſua Encyclopedia iuris,part.1.tit.4.cap.4.n.18.& ſeqq.* & adeò vera ſunt, vt docuerit Amicus *conſ.42.n.16.& 17.*Erneſtus Cothmannus *vol.4.conſ.48.num.14.* Alderanus Maſcardus *de interpret.ſtatut.concl.2.n.156.* & Hunnius *vbi ſup.tit.3.cap.7.n.73.* quòd interpretatio Statutorum,ex conſuetudine, praxi, & obſeruantia ſubſequuta deſumi debeat , *etiamſi proprietas verborum ipſius ſtatuti repugnet*,quod etiam docet de priuilegiis Solorzanus *vbi ſuprà*, vir ſapientiſſimus, & erudiſſimus.

6. Sed poſt Bullam Clem.VIII. vſus , obſeruantia, & conſuetudo,ipſis Abbatibus Commendatariis ſcientibus,videntibus,& conſentientibus,etiam tempore ſancti Caroli Archiepiſcopi, ſemper fuit, vt in dicta Abbatia , ſingulis quidem diebus celebrentur Miſſæ,ſed non à ſingulis Monachis. Ergo ita intelligenda, & explicanda ſunt verba reſcripti Pontificij, de quibus eſt difficultas. Et quidem , ſi ex decennij lapſu,ratione conſuetudinis ſcripturæ interpretantur, vt tradit vterque Molina,Theologus,& Iuriſconſultus,hic *de Primog.lib.2.cap.6.n.57.*ille *de Inſtit.tom.3. tr.4.diſp.590.concl.9.* Guttierrez *pract.qq.lib.3.q.61. n.26.* & alij , quanto magis dicendum eſt ſecundum conſuetudinem ſubſequutam , interpretandam eſſe ſcripturam , de qua loquimur, cùm non ſolùm tempus decennij ſit elapſum , ſed tempus 40. annorum, & plus. Itaque ex omnibus ſupradictis exiſtimo, dictos Monachos , cùm non obligentur expreſsè ad præciſum numerum Miſſarum , poſſe adiuuari vacationibus, quibus mos, & conſtitutio Religionis illis largitur, vel ſaltem tantum teneri ad celebrandum, ſecundum vſum , & conſuetudinem obſeruatam poſt dictam Bullam Clem.VIII. Ita ego ſentio,ſaluo aliorum meliori iudicio,& ideo rogo dictos RR.PP.Oliuetanos , vt circa præſens dubium non acquieſcant ſolo meo voto;ſed quærant ſaltem votum vnius, vel alterius viri docti,quibus ſuperius dicta libenter corrigenda ſubmitto.

RESOL.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN